

cendam; quò requisitò non minùs Virtus heroica à còmmuni, quàm habitus infusus ab acquisito generaliter differt. Sic, antequam Apostoli notitiam linguarum, tanquam donum Spiritus Sancti acciperent, conferenda priùs per eundem ipsis erat facultas, ad recipiendam ἐν τῷ νῦν tantì beneficii prolixitatem. Eundem in modum Heroas suos ante omnia DEUS reddit aptos, ut tam excellentem Virtutem, modulò humanitatis majorem, capere possint. In Statu verò Christianismi hoc requisitum sicuti præ gentilibus observari, ita præ iisdem etiam meliùs dijudicari potest. In illo nimirum invenimus habitus istos, de quibus modò diximus, infusos, quos cum Virtute heroicâ conferre, adeoq̃ hanc ex illis, quoad hoc cognoscere possumus. De dono linguarum jam dictum fuit; quod tametsi hodiè non detur, nobis tamen ex historiâ sacrâ notissimum est; Virtutes autem Theologicæ, Fides, Spes & Charitas Christiana, in hunc usq̃ diem à Spiritu S. nobis infunduntur; Unde, in Statu Christianismi, firma necitur consequentia: Unde est potentia recipiendi Virtutem infusam, inde quoq̃ venit eadem ad recipiendam Virtutem heroicam. Atqui à DEO immediatè est &c. E. Quo argumentandi subsidio cum propter defectum talium Virtutum infusarum extrâ Statum Christianismi careamus, sequitur, quòd nisi in hoc tam exquisita Virtutis heroicæ notitia haberi non possit. Sub finem verò actionum heroicarum DEUS testatur maximè de concursu suo speciali, nimirum per eventum ostendens, se ministerio talis Viri ad reformandam aut conservandam Ecclesiam sive Rempublicam singulariter usum esse. Ad hunc scopum verè divinum, si extrâ Statum Christianismi simus, vix ac ne vix quidem respiciemus, minimum tam adcuratè ac distinctè ipsum non agnoscemus.

TH. XIV.

Quò nobiliora verò hæc duo sunt requisita, item, quò perfectiùs in solo Statu Christianismi cognoscuntur; eò certius etiam Virtutem heroicam apparenter talem à verâ in eodem discernere valemus. Quemadmodum contrâ nullum est dubium, gentiles hæc exactiori notitiâ destitutos sæpiùs in exemplis dijudicandis aberrasse & murem pro Leone ostendisse.

TH. XV.

Magna itaq̃ sunt, quæ è Statu Christianismi in Statum humanita-

nita-